

25

בשם ה'תת

DISSERTATIO PHILOLOGICA,  
VATICINIUM JACOBI

De

SCHILOH

Gen. XLIX. v. 10.

Considerans,

Quam,

*Cum consen. Ampl. Facult. Philos. in Regia ad Auram Academ.*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL

Eloquent. Profess. Reg. & Ord.

h. t. RECTORE MAGNIFICO,

AD PUBLICUM BONORUM EXAMEN DEFERT.

PETRIUS SWEBILIUS.

DIE VI. Octobris Anno MDCCXLIV.

Horis ante meridiem solitis,

ABOAE,

Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Acad. Typogr.

*Gunn Tollin.*

S:æ R:æ M:is

MAGNÆ FIDEI VIRO,

*Summe Reverendo atque Amplissimo*

**D<sub>N</sub> A N D R E Æ  
B E R G I O,**

S. S. Theol Doctori Celeberrimo, Eccles. S:ri Ni-  
col *Antistiti* longe dignissimo, Consistoriique Hol-  
menfis PRÆSIDÏ gravissimo,

MÆCENATI OPTIMO.

**D**ubitabam sane atq; incertus habebam, an hisce  
pagellis, TANTI VIRI adire limina sustine-  
rem, sed benivolentia Tua, Mæcenas nunquam sa-  
tis deprecanda, qua, ut omnes literarum cultores,  
ita

ita me quoque elientem Tuam Humillimum,  
nunquam non amplecti dignatus es, animum mi-  
hi addidit. Accipias itaque, humillime oro, Som-  
me Reverende Domine Doctor, hoc quales-  
cunque industria nostra specimen, quod in debita  
venerationis Testimonium Tibi consecratum esse  
volum. DEUS Te, Nestoreos in annos sospitem ac  
incolumem servet, florentemque efficiat semper!  
quod ipsum, quamdiu spiritus nos regit artus,  
calidissimis rovere suspiriis non intermittam.

SUMME REVERENDI atque AMPLISSIMI  
NOMINIS TUI.

*Cultor Humillimus*

PETRUS SWEBILIUS.

VIRO

*Nobilissimo,*

**DN. ZACHARIÆ  
HAMMAR,**

Legionis Equestris Bohusienſis magiſtro equitum  
maxime ſtrenuo, Fautori ac Promotori pio animi  
affectu jugiter honorando.

VIRO

*Admodum Reverendo atque Præclarissimo,*

**MAG. CAROLO GUST.  
WERANDRO,**

Eccleſiarum in Simæ & Altuna Paſtori longe meri-  
tiſſimo, vicini Diſtrictus Præpoſito graviffimo, Pa-  
trono ac Promotori ad cineres uſque omni hono-  
ris & obſequii cultu ſuſpiciendo, colendo,

*VIRO*

*Amplissimo atque Celeberrimo,*

**D<sup>N</sup>. GABRIELI  
MATHESIO,**

Ling. Græc. in Academia Upsaliens. Profess. Reg.  
& Ordin. longe meritissimo, Fautori ac Benefa-  
ctori nunquam non colendo.

*VIRO*

*Plurimum Reverendo & Clarissimo,*

**D<sup>N</sup>. MATTHIÆ  
PAZELIO,**

Pastori in Kielswiâ dignissimo, ut Præceptori  
quondam fidelissimo, ita quavis observan-  
tia perpetim prosequendo.

**A**ccipite Promotores & Benefactores optimi,  
benignissimi, fauenti ac placido vultu exiguum  
hocce exercitium Academicum, quod in animi pii  
ac devoti signum vobis offert & consecrat.

Nobilissimorum. Amplissimorum. atque Celeberrimo-  
rum, nec non Admodum Reverend. atque  
Præclarissimorum, Plurimum Reverend. & Cla-  
rissimorum Nominum Vestrorum,

Cultor observan-

tissimus

**PETRUS SWEBILIUS.**

Borgmästaren i Gamle Carleby  
Edle och Högachtad

Herr ERLAND NOREN,

Samt

Rådsmännen i hversammanstädes  
Högwälsachtade och Wallagsarne

Herr LARS STEN,  
Herr JACOB FALANDER,  
Herr GABRIEL PALMAN.

Ed och

Ährebörne och Högwälsachtade Handelsmän-  
nerne i Åbo

Herr HANS HENDRICH WITTFOTH,  
Herr CHRISTOPH. CARLBOM, i Gamle Carl.  
Herr ANDERS BAER, i Åbo.  
Herr SIMON FANT, och  
Herr PET. STENHAGEN, i Gamle Carleby.

Günstige Gynnare.

**S** Den något godt har sät bår heder åter gifwa,  
når han ei annat kan, så framt han ei wil blifwa,  
Ehen tungsta stenen, som wår jord uppå sig bår  
mig större gunst har håndt, än jag kan räkna bår

Be.

Verissa bör mig då, den ynnest i mig wlsat,  
 Den framgent skal af mig med wördnad warða prisat,  
 Som solen wårman gier och lius åt månans kropp,  
 Så gide Er godhet, at mitt öde klarnar opp.  
 Ja, när jag Eder Gunst begynner mig påminna,  
 Jag altid början kan, men ingen ända finna.  
 Ses min förmåga an, så står der idel Null:  
 Ett ufelt Capital mot så långwärig skull.  
 Doch gier jag handskrift ut uppå et stampat linne,  
 At Eder godhet skal bli giömd i wärdsame minne,  
 Så länge hiertat står och tungan rörs i mun,  
 Tillika gier jag här ett lod för många pund:  
 En liten Pinda frucht, som ei til mognad hunnit,  
 Den jag har pläckt, och i pappers linda bunnit.  
 Den wäger ei qvintin emot Er godhet stor,  
 Doch bristen fyller Gud, som uti högden bör.  
 Han himlens Hæere, stads wälsigne Eder handel,  
 Och med en blomstrand wåhr bekröne all Er wandel,  
 Same när I ändat han', Ett wälsbegynta lopp  
 Han före Er med frögd til öfre Landet opp!!!


Mine Gunstige Gynnares

Högstförebundne

Tjenare

PETRUS SWEBILIUS.





L. N. J.

§. I.

**N**ulla in Genesi vaticinatio illustrior est ac rotundior illa, quam Sanctus Patriarcha Jacobus de Schilo protulit, jam in extremo vitæ constitutus, qui filius convocatis futuros eventus, tam prosperos quam adversos prædixit, & Judam inter alia hoc modo alloquutus est: Cap. XLIX. 10. *שָׁמַר יְהוָה שְׂבִיבֹתַי וְיָבִין רַגְלַי עַד כִּי יָבִין יְהוָה וְיָבִין יְהוָה* : *שָׁמַר יְהוָה* LXX, interpretes ita vertunt: *καὶ ἐκλείψει ἄρχων δέ τιδα, καὶ ἠγύμειν ἐν τῶν μηρῶν αὐτοῦ ὡς εἰάν ἔλθῃ πρὸς ἀποκείμενα αὐτῶ, καὶ αὐτός προσδοχία ἐθιῶν.* Versio vulgata sic habet: Non auferetur sceptrum de Judá, & legislator ab inter pedes ejus semper, quia veniet Schilo, & illi erit ag-

A

gre:

gregatio populorum. Lutheri Ger: Es wird das scepter von Juda nicht entwendet werden/ noch ein Meyster von seinen füßen/ bis daß der Helt komme: und demselben werden die vöcker anhangen. Svec. Spiran skal icke war- da tagen ifrån Juda/ eiheller en Mästare ifrån hans sötter til theß Hielten kommer: och honom skola folcken tilfalla. Fen. Ei Waldie- ka oteta pois Judalda/ eiká Lainopettaja hä- nen jaltvoistans/ sihenasti eini Sangar tule ja hänesä cansat rippuivat lijni. Quidam etiam versiones renuuerunt vocem Schilo, idque eam ob causam, quod earum auctores vel crederent emphasin vocis alia lingua non satis exprimi posse, vel nomen id proprium esse Messie putarent.

## §. II.

**Q**uod attinet ad varias lectiones circa vo- cem  $\text{שילו}$ , breuiter eas recensebimus, cmissa tamen sententia Morini, qui quintupli- cem lectionem affert, vel comminiscitur potius, teste Calouio in Bibl: illustr: ad h. l. com- menta quippe recitasse, est refutasse. Quidam legunt  $\text{שלו}$ , cui est vel cui sunt, ut Onkelos, Pa-

3

Paraphrastæ Hierosolymitani, R. Salomon Jarchi, R. Saadia Gaon in Pentateuchi arabica translatione, interpres syrus, Aben Melek in Michal Jophi & LXX interpretes, cum transferrent *וְאֵינֶינָם אִתּוֹ, reposita ipsi, quod alii deinde: וְאֵינֶינָם, ille cui cuncta reposita sunt.* Nonnulli legunt *מָו*, qui mittendus est; ut versio vulgata, quam etiam Grotius suetur, cui Gardonus Huntæus Jesuita adstipulatur. Valde miror Flacium Theologum nostræ Ecclesiæ calculum huic lectioni addidisse. Centet quippe cum Steucho & Huntæo, locum a Judæis corruptum esse, luculento huic de Messia testimonio obscurando, atque olim lectum fuisse *מָו* vel *מָו*. Nonnulli vocem in duas dirimunt *מָו*, h. e. *munus* seu *donum* ipsi, e. g. antiquus Midratch, quam lectionem mirabilem & vere Christianum sensum complecti Morinus judicat. Genuina vero lectio est *מָו*, quam habet Masora, cujus magna utique est auctoritas. Atque ita etiam Talmudici legere, ita quoque commentatores, Tanchuma, Jalkut; Nachman, Arama Alcih, Bechai, Gersom, Abarbanel, Caba-

balista, Jonathan in Targum, codex Samaritanus, Auctor antiquissimi commentarii Bereſchit Rabba, citante Calovio ad h. l.

§. III.

**O**Rdinis jam exigit ratio, ut ad explicandam Etymologiam vocis  $\text{חַיָּו}$  nosmet accingamus. Nonnulli derivant vocem hanc, a vocabulo hebræo  $\text{חַיָּו}$  pax; sed  $\text{ח}$  radicale in derivatis nunquam perit, quod observandum est contra Polanum. Quidam deducunt ex  $\text{חַיָּו}$  secundina vel  $\text{חַיָּו}$  embryo maturus, sive foetus nonimestris, quæ vox in Talmude hoc significato occurrit, ita ut sensus sit: *tenellus foetus sive filiulus ejus*. Hanc derivationem amplectuntur præter Rabbinos, a Pfeiffero in Dub. vexat. citatos, non solum multi e Pontificiis & Reformatis, sed etiam ipse Lutherus, Gesnerus, Chytræus, Lylerus, Tarnovius, Quistorpius, Müllerus, Havemannus, & alii. Sed quominus huic sententiæ accedamus, obstat, quod  $\text{חַיָּו}$  ne pro secundinis quidem nedum pro filio accipiatur, quare nulla suppetit ratio, cur de ejus derivatione vel a  $\text{חַיָּו}$  vel  $\text{חַיָּו}$  solliciti simus. Re

autem probe expensa, commodissime deriva-  
 mus a. v.  $\text{נחמ}$ , tranquillus, pacificus, prosper  
 fuit, ut adeo sit  $\text{נחמ}$  tranquillator, pacifica-  
 tor, Salvator. Idem sentiunt Gerhardus,  
 Glassius & Castellus. Messias enim nobis pa-  
 cem & securitatem aeternam comparavit, adeo-  
 que est verus  $\text{נחמ}$  princeps pacis, Es.  
 IX 9.

§. IV.

**I**nvestigandum jam est, quid hic per  $\text{נחמ}$   
 intelligatur. R. Bahir ad Cabbalam confugit,  
 & cum idem in numero conficiant  $\text{נחמ}$  &  $\text{נחש}$   
 i. e. 345, existimat heic denotari Mosen. I-  
 dem inculcat R. Bechai & alii Rabbini. Sed  
 quilibet videt hanc rationem esse ridiculam i-  
 mo nullam. De cetero sceptrum ante Mosen  
 Judæ non fuit collatum, adeoque nec ipso ve-  
 niente, potuit auferri. Alii volunt designari  
 Saulem, quem in urbe Schilo, arca ibi adhuc  
 manente, unctum dicunt. Verum nunquam dici  
 vel solet vel potest urbs aliqua venire, veniente  
 ad illam persona, aut re quapiam ibi ge-  
 sta. (a) Præterea Saul in Ramath unctus est,

in

(a) Vid. Dissert. Gotthofr. Walandi in b. h.

in Mirzpah vero a populo receptus I. Sam. X. I. 17. & arca eo tempore non in Schilo erat, sed in Kiriaticarim I. Sam. 7. 2. Nonnulli Davidem hac voce innui volunt, dicentes, regnum a Juda non recessurum donec veniat David. Ita R. Aben Ezra & R. Sal. ben. Melech, sed hi, ut recte notat Mercerus, finem vaticinii figunt, ubi ejus est initium; nam tantum abest, ut per Davidem regnum a Juda sit amotum, ut potius ei sit acquisitum. A barbancl apud Altingium חבון exponit peccatum ejus; ut intelligatur transgressio Salomonis, quia post illam, nimirum sub filio Rehabeamo decem tribus defectione facta proprium sibi regem constituerunt. Verum nec חבון usquam pro peccato accipitur; & sic de imperio Judæ in alias tribus hic agi statuendum foret, quod contextus non patitur. Quidam hominem ex urbe חבון oriundum, heic intelligi autumant, scilicet Ahiam, qui, veste Jeroboami in duodecim partes scissa, decem ipsi reddidit I. Reg. XI. 30. indicaturus scissum iri regnum Ebraorum & decem tribus ab obsequio Rehabeami abducendas. Sed hoc posito, imperium decem tribuum

buum ipsi Ahix tribueretur per ultima vaticinii verba, non Jeroboamo. Alii proinde Jeroboamum, in הלו undum, malunt. At vero neque ille regnum Judæ abstulit, sed id, abducto Israele, in statu tandem integro & separato reliquit & non in Schilo, sed in Sichem rex creabatur I. Reg XII. Alii alias fovent opiniones, quas heic recensere & sub incudem revocare nimis longum foret. Quidam enim cum R. Lipmanno putant הלו, hic esse nomen proprium urbis in finibus Ephraim sitæ, (b) ubi arca fœderis aliquamdiu subsistit Jos. 18. 1.

(b) *Clav. ling. Sanc. Stock ad vocem הלו*

§. V.

**P**ergimus jam ad probandum Schilo Jacobum esse Messiam patribus promissum. Hoc colligi potest 1<sup>o</sup> E designatione temporis. In ipso enim ingressu orationis hujus valedictoriae indicat Jacobus se prædicturum fore, quæ filiis eventura essent במהרה תמות ה' e. extremis temporibus, qua phrasi exprimuntur tempora Messia Et. 2. 2. Mich. 4. 1. 2<sup>o</sup> Ab emphatico introitu, in quo promittit Jacob se de Juda ea dicturum, ob quæ sit a fratribus de.

deprædicandus; inter ea vero, ob quæ celebrari deberet tribus Juda, præcipuum erat, quod ex ea nasciturus esset Messias, quod proinde heic præterire voluisse Patriarcham non est verisimile 3:º Ab anxia Patriarchæ expectatione מתי ויחזקו ויחזקו ל' v. 18. 4:º Accedit allusio Spiritus Sancti in Novo Testamento ubi Christus verus Messias vocatur Leo de tribu Juda apoc: 5. 5. (a) 5:º Ex consensu Judæorum & Christianorum. Onkelos enim, Jonathan, Hierosolymitanus Paraphrastæ, Talmudici, Bereschit Rabba, R. Salomo, Echa Rabthi omnes Messiam hic indicari contentiunt. Quod agnoscunt quoq; Arabes, a fide Christiana alieni, e quibus Ahmed ibn idris observante Hottin-gero in Thesauro p. 163. Textus, inquit, le-  
gis confirmat Prophetiam (JESU) super quo  
pax, quando dicit: Non recedet &c. id  
quod evenit: nec enim deerant Reges [Judæis]  
& imperium ad Messie usque tempus, super  
quo pax. (b) Tunc enim facti sunt oppro-  
bri-

(a) in Dub. Vex. b. 1. p. 205.

(b) Vid. Calov. Bibl. illustr. b. 1.



brium vile & populus captivus, quod quidem tam verum est, ut negare non possint. Atque hoc argumentum evidens est ex prophetia (JESU) super quo pax. Prædixit enim Moyses, pax memoræ, futuros illos tunc temporis vanitati addictos, veritatem autem, quæ pullura esset vanitatē seu mendacium, allaturum Messiam. 6:0 Et signis h. l. existentibus, quæ in Messiam convenire in sequentibus probabitur.

## §. VI.

**H**ilic jam præmissis, pedem promovemus ad consideranda illa signa, quibus Messias, ac tempus in præsentis, quo advenurus esset ostenditur. Horum primum est *vaw* non recessurum a Juda. Sponte itaque inquirendum occurrit, quid h. l. designetur per *vaw*. Multi recentiorum Rabbidorum intelligunt hic virgam castigationis, prout hæc vox sumitur Psalm. II. 9, quod castigationes divinæ & exilia non cessatura sint a tribu Judæ, donec veniat Messias. (\*) Ita hodiernam suam exilium includunt, quasi a Jacobo Patriarcha prædictum, adeoque locus hic non tam contra

B

tra

(\*) Confer. Seb. Schmid. in colleg. Bibl. ad h. l.

tra Judæos esset quam pro illis, citante Luthe-  
 ro in h. l. Verum 1<sup>o</sup> Patriarcha Jacobus in  
 hoc toto contextu laudat Judam, & magna de  
 illo prædicit, non adversa minatur. 2<sup>o</sup> Falla fo-  
 ret ista prophetia: cum non semper castigaverit  
 DEUS populum suum Israelem & Judam, sed multi-  
 ta tempora diuturnioris pacis dederit sub Davi-  
 de, Salomone, Josaphato, Hiskia, Josia & a-  
 liis. 3<sup>o</sup> Contradicit alteri membro; *Et legislator*  
*se: non recedet.* Quid enim virgæ hostili castiga-  
 toriæ cum legislatore? Quidam iterum *וְעַד* expo-  
 nunt per tribum, ut sensus sit; non prius ge-  
 nus Judæ confusum iri, ac distinctæ tribus no-  
 men amissurum, quam venerit *וְעַד*. Eo in-  
 clinant Menasse Ben Israel; quæ sententia quo-  
 que placuit Junio & Tremellio, Joh. Tarnovi-  
 o, Jac. Altingio, Pet. Molinæ; &c. Neque  
 huic interpretationi adversatur eventus. Nam  
 usque ad Christum tribus Judæ certis genealogi-  
 giis tanquam sepimentis ab aliis erat distincta,  
 post vero, republica eversa, & populo in di-  
 versas orbis partes disperso, distinctio tribuum  
 sublata est. Sed *וְעַד* non accipitur in sensu  
 abstracto, ut denotet rationem tribulem, sed  
 con.

concretè ipsū qui tribū constituit ceterum designat. Atque si voluisset Patriarcha innuere, quod Juda sit mansurus tribus aliqua usque ad *יהוה*, sane dixisset potius: non desinet Juda esse tribus vel non desinet tribus Judæ. Neque computationibus genealogicis illa inesse videtur evidentiæ ac vis, quæ tantæ rei, quanta erat adventus Messæ, præsignandæ & illustrandæ sufficeret. Quod si vero per tribum non tam habeatur ratio genealogiæ, quam habitatio- nis conjunctæ & communis præfecturæ, quo in sensu *יהוה* sceptissime accipitur, hæc interpretatio coincidit cum sequenti, ut sensus sit: posteritatem Judæ ad Messæ usque adventum habituram fore conjunctam & republicam propriosque magistratus habituram.

## §. VII.

**E**orum itaque sententiam amplectimur, qui *יהוה* per sceptrum interpretantur, quo per metonymiam signi pro signato denotatur, non prærogativa quæcunque & *יהוה* postero- rum Judæ præ ceteris ut vult Don Isaac A- barbanel, sed politica & cum jurisdictione conjun- cta non jus modo regnandi, sed actuale domini-

um seu juris exercitium; non in specie ἀρχὴν βασιλικὴν, sed in genere τὸ κύριον in quocunque republicæ statu. (d) Hoc primo evincit Patriarchæ scopus, qui hic erat, in Judam hanc primogenituræ dignitatem, cum reliquis fratribus non communem, derivare, ut id satis ostendunt versus priores conf. Gen. XXVII. 37. Deinde ipsa textus συνάφεια Judæ præclara quævis & excellentia hic pollicetur, ideoque sine aperta vi non potest diversus aliquis sensus huic voci affingi. Tum reperitur idem nomen, eidem verbo, in eodem prope significato junctum apud Zachariam Cap. X. 12. ubi LXX reddunt ἀρχὴν. Huc postremo accedit, quod veteres Hebræi Chaldæique omnes prope, quasi uno ore, vocem acceperint pro sceptro regio sive regno. Ita LXX vertunt ἀρχων princeps, Onkelos מלכות עביר exercens imperium. Et juxta eundem sensum Targum Jonathan & Hierosolymitanus מלכות reges, nec non veteres Hebræi, Talmudici, Codex Sanhedrin, & Codex Haraioth, & recentiores Kimchi; R. Salomon, Aben Ezra, R. Abra,

(d) Vid. Pfeiffer. Dub. Vex. b. l. p. 207.

braham Hispanus, R. Tanchuma, R. Bechai, R. Mosche ben Nachman, R. Isaac ben Arama, Chaskuni, quos omnes se vidisse testatur Buxtorfius (e). Quæ omnia eo spectant, ut convincantur Judæi propriis eorum verbis, jam advenisse Messiam, cum sceptrum seu regia potestas, jam diu ante tot secula a Judæis sublata sit, & ipsi in perpetuam servitutem redacti.

§. VIII.

**P**ROgredior ulterius ad alterum signum adventus Messix, quod exhibet ppino pariter non recessurus. Neque consentiunt interpretes de sensu hujus vocis. Quidam per ppino intelligunt Doctorem legis, quæ sententia in primis arridet recentioribus Judæis, quorum etiam inclinat Paraphrasta Chaldaus per sabb reddens. Sed præterquam quod neque ipsi Judæi negaturi sunt, Rabbinos etiam post adventum Messix usque ad finem seculi non defuturos, vix ac ne vix quidem probari poterit per ppino merum legis Doctorem notari; quod patet ex inductione locorum, quibus hæc vox usur-

(e) In Lex. Hebr. ad voc. שׂוֹבֵר.

usurpatur. Accedit ratio originis, quam  
 ducit a verbo *ppm*, quod significat: decrevit,  
 jubendi auctoritate statuit. Nec Paraphrastæ  
 auctoritas est omni exceptione major, vel tanta  
 ut rationibus modo allatis præferri debeat. Et qui  
 eam tueri velit, dicere poterit, spectasse cum quod  
 tales juxta in republica Jadaica gerebant magistra-  
 tum. Nec scopus Patriarchæ, ad quem *Altingius* pro-  
 vocat, diversum evincit. Ille enim hic fuit, ita  
 prædicere futurum generis humani servatorem,  
 & Principem spirituales, ut simul illustre *עמית*  
*עיו* statueretur, quo is natus certo agnosci pos-  
 set; quo magis, certe non minus, faciunt in-  
 terpretationes imperii civilis significationem in  
 voce *ppm* adgnoscentes, quam quæ merum legis  
 Doctorem ea notari volunt. Alii *Scribam Politi-  
 ticum* vel *Secretarium* voce *ppm* h. l. significa-  
 ri putant, quibus assentitur *Kimchi* in radicibus,  
 ibidem affirmans, cum septem scripturæ locis  
*ppm* usurpatum reperiatur, omnes illos habe-  
 re significationem scribendi. Sed trivolum est  
 a scribis politicis & secretariis desumere signum  
 adventus Messæ. De significato scribendi ver-  
 bo *ppm* convenienti mox erimus dicturi, R.

Lipmannus, omnia more suo torquens, per *pprimo* heic intelligi contendit *stimulam* seu *pœnas*; sed ille significatus est cerebri eius figmentum. *Petavius* per *וְדַבְרָא* potestatem civilem significari vult; per *pprimo* autem Ecclesiasticam & legalem, ritus puta & ceremonias *עֲשֵׂה*. Sed non dum ad liquidum est perductum, an per *עֲשֵׂה* intelligantur leges Ceremoniales. Saltem ubi hæc vox ponitur sola, nec in comitatu habet *וְדַבְרָא* & *וְדַבְרָא* id admitti nequit; tum quippe denotat omnem legem divinam. Quod si vel concedamus per *עֲשֵׂה* aliquando designari leges ceremoniales, quis inde concludet *pprimo* hic esse *judicium Ecclesiasticum*?

§. IX.

SEquitur itaque, ut sententiam nostram proferamus. Nihil autem aliud *pprimo* notat, quam magistratum seu *Prætozem* jure dando & dicundo præeuntem, adeoque non juris tantum privati interpretem & custodem, sed etiam legislatorem. Simplicissimam & convenientissimam hanc esse interpretationem, constat ex ipso verbo originali *פָּקַד*, quod ut ante observavimus, obtinet significatum jubendi & mandandi cum aucto.

toritate. Et quod scribendi notio huic verbo aliquando competit, inde assertioni nostræ nihil periculi existit: quum imperium civile tum in iure condendo seu in edictis & constitutionibus, tum in mandatis, rescriptis seu responsis, edictis temporariis & decretis scribendo exercetur. Adstruit sententiam nostram aliorum S. S. locorum collatio Esa. XXXIII. v. 22. exstat:   
 וְכָתוּבָה אִתָּם כֹּתֵב  
 Conf. Psalm: LX. 9. CVIII. 9.

## §. X.

**P**ergo ad considerandam illustrationem signi secundi, quod nimirum *ppmo* ille ad Messie adventum duraturus, existeret *מבשר*. Verba allata variis interpretationibus obnoxia fuerunt. Harum prima nunc esto illa Judæorum palato maxime accommodata, Christianis tamen etiam nonnullis arridens; verba *מבשר* respicere ad morem e Cathedra editione docendi, auditoribus humi vel in humilioribus subsellis, & sic ad pedes docentium, sedentibus. Sic ad pedes Gamalielis educatum se ait Paulus Act. XXII. 3. Verum heic observandum est: I:o Supponi ab ita sentientibus, *ppmo* Doctorem legis notare; cujus contrarium ex antecedentibus.



dentibus constat. 2<sup>o</sup> Ita plane *אֲוִסְאָה* statui;  
 cum sic docens ex vaticinio Jacobæo sit ad  
 pedes collocandus discipulorum, qui ad pedes  
 illius ex recepta consuetudine essent collocandi.  
 3<sup>o</sup> Non ad pedes solum, sed *inter pedes* doc-  
 centium locum inveniret, quod absurditatem  
 auget. Quo ipso evertitur, quod per se sa-  
 tis violentum esse apparet; intelligendum  
 hic doctorem legis cum, qui etiamnum  
 discipulus sit & erudiatur, ut doctor ipse post-  
 modum evadat. Aben Ezra eo potissimum  
 motus, quod de uno *פְּרִימֵי* hic agitur, cum  
 legem discentes & docentes plurimi temper sint,  
 de pedibus Regis vel Principis interpretantur,  
*inter quos*, ut ipse, vel *ad quos*, uti *Kimchi*  
 loquitur, scriba publicus vel secretarius sedeat.  
 Sed inter pedes Principum sedere scribas  
 a consuetudine & ratione abhorret. Verba  
*אֲוִסְאָה פְּרִימֵי* accipiunt quidam de conculcatione  
 pedibus *אֲוִסְאָה* facienda. Quæ sententia non  
 quidem omnino nullam veri speciem habet.  
 Negari tamen sine absurditate nequit, plus re-  
 requiri quam solam pedum mentionem ad con-  
 culcationem significandam, de qua præterea in

textu nihil, sed alia potius omnia inveniuntur. Atque Esa. XXVIII, 3. qui locus in eam sententiam citatur, ne quidem sermo est de Messia, sed de Salmanassare Assyriae Rege, regnum Samaritae destructuro, Novam expositionem attulit Wagenfelius: Pedes per translationem plerisque gentibus familiarem hic significari id, quod est in re quaque ultimum & finis; quae viri eruditissimi conjectura admitti aliquo modo posset, si phrasin hanc genio linguae hebraeae esset conformis & exemplis adstrui potuisset. Verum ista conditio cessat.

## §. XI.

**E**orum igitur sententiam sequimur, qui statuunt per phrasin: *ab inter pedes ejus seu e medio pedum* significari posteritatem ab ipso enatam. Hinc est, quod dum in sacro codice describitur generatio vel proles, promiscue adhibeantur nomina lumborum & pedum. Sic posterii dicuntur esse in lumbis patrum Ebr. VII, 10. & secundina exire *de inter pedes matris* מלבין רגלי דעזרא Deut. XXVIII, 57. Cujusmodi *εὐφρασιμῶν* exemplum etiam reperitur apud Homerum: Ἔς κὰρ ἐν ἤματι τῷ δὲ πτόνι υἱ-

τὰ ποσὶ γυναικός h. e. *Quisquis hoc die ceciderit intra pedes mulieris*, h. e. nat<sup>9</sup> fuerit, Innuitur itaq; a Patriarcha his verbis, non modo in tribu Judæ, sed & ex illa semper fore legislatores; quod ita evenisse tempora secuta evidentiter ostendunt.

## §. XII.

**C**laudatur deniqve hoc oraculum his verbis **וְהָיָה שֵׁם יְהוָה מְפֹרָשׁ**. Vox vero **מְפֹרָשׁ** ut est obtusæ originis; ita circa ejus expositionem varie se torquent interpretes. Alii derivant illam a **מָפַר**, quod in conjugatione Kal significat *stupere* Jer: XXXI. v. 29. in Piel *obtusum facere* Eccl. X. v. 10. *debilitare*, quasi sensus esset quod Schiloh gentes debilitaturus foret; quem tamen ab hoc loco alienum esse, nemo non videt, LXX. vertunt: *καὶ αὐτὸς προσκοίτα ἔθνων*, & inde vulgatus: *Et ipse erit expectatio populorum*; qui legisse videntur **מְפֹרָשׁ**, vel certe a **מָפַר** putasse vocem **מְפֹרָשׁ** derivari; quod quomodo fieri possit non apparet. Alius **מְפֹרָשׁ** est aggregatio, vel collectio; quam versionem Polus tribuit *Munster* & *Pagnino*. Neque aliud videtur velle *οὐνεμα λαῶν*, quod *Aquila* placuit; Nisi quod hoc terminetur in se ipso; aggregatio

6  
 referri possit ad Messiam, cui aggregentur, quo  
 Lutherus respexit, vertens: *Dem werden die wöle-  
 ker anhangen.* Sed an huic voci ea significatio sit,  
 & unde sit, non apparet. Alii derivant nmp̄ a n̄p̄  
 mundus, purus fuit: ut sit sensus: & ipse purga-  
 bit populos a peccatis suis, scilicet juxta Angeli  
 denunciationem in Evangelio Matth. I v. 21. sic  
 nmp̄ foret mundatio. Sed quæ est ratio muni-  
 dationis ad antecedentia de imperio civili? R.  
*Bechai & R. Hiskia Chaskuni*, uti refert ex *Hele-  
 vico Polus*, intelligunt populum Israeliticum,  
 quo magis, quantum in ipsis est, obscurent e-  
 ventum in Salvatore nostro huic vaticinio  
 clarissime respondentem. Sed de Messie  
 regno cum sermo est, uti hoc loco esse jam  
 constat, ita capi est falsissimum.

§. XIII.

**R**estat nostram hac de re sententiam expo-  
 namus. Adstipulamur autem illis, qui  
 nmp̄ vertunt obedientiam, obsequium, derivantes  
 a n̄p̄ obedivit, obtemperavit. Hanc interpreta-  
 tionem tuentur *Onkelos, Hierosolymitanus Pa-  
 raphrastes, Junius & Tremellus, Piscator, Groti-  
 us, Calixtus.* *Piscator* apud *Polum* ait, hanc  
 inter

interpretationem ex Prov: XXX. v. 7. confirmari: *Oculum ejus, qui subsannat patrem aut spernit* עין הנחפז obedientiam matris effodient corvi. Grotius ibidem observat sensum esse, *Messiam eximum futurum & Regem & Doctorem, Judaeorum & gentium; quod ipsum etiam praedicitur* Esa. XI. 10. Ultima in hoc vaticinio est vox עמון, quae in singulari numero multitudinem designat, unde de locustis (a) & formicis dicitur Prov. XXX. 25. In plurali autem solis hominibus tribuitur: nunc uni populo; nunc universo generi humano; quo ultimo sensu illam haec accipi, confirmant innumera propemodum loca, in quibus amplitudo regni Messiae describitur. Errant itaque R. Bechai & R. Hiscia Chalkuni, qui referente Polo, hic intelligunt populum Israeliticum. Atque sic satis, opinor, probavimus, quod Judae posteris *Sceptrum* i. e. regia potestas & legislator i. e. qui ipsis leges praescribat, vel potius juxta leges justitiam administret, (b) usque ad Messiae adventum, hoc oraculo promittatur.

§. XIV.

(a) Joel II, v. 2.

(b) Vid. Aenot. in Gen: Job. Terf. p. 143.

## §. XIV.

**J**AM igitur quum de sensu vaticinii Jacobæi constet, de eventu ejus paucis aliquid addendum est, ut ita difficultates, in adplicatione occurrentes, removeantur. Nimirum adstruximus Judæ ejusque posteritati in hoc vaticinio promitti imperium usque ad Messæ adventum, sed Historia hæc difficultates offerre videtur: 1:o Quod in Zedekia regnum Judæ desierit; 2:o Nec in captivitate babilonica durasse, dici possit; 3:o Post captivitatem babilonicam sub Persarum & hinc Syrorum regum jugo constituta respublica Judaica imperii fuerit expers; 4:o Immo in ipsa Judæorum republica summa potestas ad Hasmonæos fuerit translata, ex tribu Levi oriundos; 5:o Ab his vero ad Herodem transierit, ἀλλ'φυλοι, ut plerique putant, gente quippe Idumæum; 6:o Et ante Christum natum ad Romanos, quorum imperio jam pridem subiecti erant Judæi, cum Christus nasceretur. Verum Respondemus; 1:o in Zedekia regia quidem dignitas, non autem sceptrum seu imperium, in tribu Juda  
finem

finem accepit, nec desit esse respublica. 2<sup>o</sup> Captivitas babilonica erat temporaria, nec magis per illam dici potest imperium recessisse a Juda, quam si quis asseruerit Franciscum I<sup>m</sup> Galliarum Regem ideo excidisse imperio, quia ad Paviam factus erat captivus. Tempore captivitatis, non renunciavit populus DEI juri in terram sanctam, nec potuit renunciare, durante Theocratia, & reditu per Prophetas promisso. 3<sup>o</sup> Post captivitatem Babilonicam parebant Judæi Persarum ac deinde Syriæ & modo Ægypti Regibus, sed mansit nihilominus respublica, quæ sine imperio ne intelligi quidem potest. Et magistratum indigenæ constituiebant. Propriis etiam legibus utebantur. Nec nullum est imperium, licet non sit omnino id independens. Multi quoque Reges parebant Romanis, quibus tamen ideo omne imperium nemo abjudicaverit. 4<sup>o</sup> Turbat non paucos communicata post reditum etiam tribui Levi reipublicæ administratio, sed immerito. Neque enim, assumpto principe quantumvis peregrino, quidquam ipsi reipublicæ decedit, si modo libertatem & sua jura retineat. Manet regnum

Polonicum, sceptrumque & jus gentis, quamvis Rex fuerit modo Svecus modo Gallus modo Germanus natione. Tanto igitur minus suspicari quisquam potest, ademptum fuisse Judæis imperium, constitutis ex populo Israelitico, ut ut aliena tribu, principibus. Neque enim illi, populo invito, rempublicam invalerunt, sed ob suas virtutes rite electi, administrationem susceperunt I. Mac. IX. v. 30. Unde constat, non opus esse contra historiarum fidem cum Origine, Epiphano & Augustino Maccabæos ex tribu Judæ oriundos fuisse asserere; vel saltem ratione generis materni cum Lyrano, Charrhusiano, Tostato multisque aliis eos inde arcescere. Quamquam, ut bene monet Lutherus, tribus Levi fuit tribui Judæ certa ratione inculata, ut adeo Levitæ, tribui Judæ implantati, de eadem esse censerentur. 5:o Idem dicendum de eo tempore, quo Reges ex gente Herodum, summam rerum ex Romanorum concessione obtinuerunt. 6:o Per ipsos vero Romanos, etsi imperium Judæorum valde imminutum fuerit, præsertim postquam tandem Synedrion omni potestate capitalis poenas infli-



25

fligendi excidit, ipsa tamen respublica mansit, donec tandem excisa & eversa a Tito urbe Hierosolyma, respublica Judæorum prorsus dissolveretur, Judæis hinc inde per universum terrarum orbem dispergendis. Idque quum factum sit, quum JESUS Nazarenus natus esset, in quem & reliqua Messiaë, patribus Veteris Testamenti promissi, ~~κεντήσια~~ quadrant; hunc verum illum Messiam, unicumque hominum servatorem esse, luculenter inde sequitur. (a) R. Maimonides contendit, post excidium Hierosolymorum sceptrum Judæ in babilonia mansisse, sed omnino frustra. Constat quidem res Judæorum aliquamdiu magnopere ibi floruisse, verum obtinuisse illos aliquam rempublicam, nunquam probabitur. R. Kimchi ex evidentia rei convictus, de se cæterisque Judæis conqueritur, atque ingenue fateatur, quod hi sint dies exilii eorum; in quibus hodie sunt, non habentes Regem nec Principem de Israel, sed in potestate gentium viventes, subiecti illarum Regibus atque Principibus. Huic consentiunt Abarbanel & Menasse ben Israel, aliique. Recentiores

D

vero


(a) Job. Franz. Budd. Hist. Eccl. Vet. Test. ad b. l.

vero Judæi, cum animadverterent, omnes terminos, ab antiquis constitutos, præterisse, neque Messiam, qui illis quidem placeret, venisse, anathemate interdixerunt, ne quis tempus adventus ejus supputaret, ut in codice Sanhedrin legitur: *תפח רוחן של מחשבי צאן* *Rum-*  
*patur spiritus eorum, qui supputant terminos (c).*  
 Atque ita auspiciis divinis, breve, quod promissimus, opusculum ad finem pro-

duximus.

SOLI DEO GLORIA!

(c) *Cap. II. fol. 98. cit. a Buxtorf. ad voc. צאן*



MONSIEUR.

**L**A vertu & les perfections sont seules capables de gagner l'estime & l'amour d'un chacun, elles engagent même tous ceux qui en ont le gout. C'est pourquoi je ne m'étonne plus que d'abord j'aie pris pour vous une tendresse qui ne cessera jamais. J'ai aussi reçu Monsieur, depuis que j'ai eu l'honneur de votre amitié les preuves les plus essentielles d'un inviolable attachement, de sorte que j'oublierois mon devoir & me rendrois indigne de votre amitié, si je négligeois cette occasion de témoigner devant tout le monde l'estime que j'en fais. Et quoiqu'auparavant je n'aie pas douté de votre érudition, je suis pourtant rempli de joie de voir en effet par le savant ouvrage que vous mettez en lumière qu'il y a un ami très-docte. La connoissance que j'ai de votre modestie me défend d'en dire davantage, & j'avoue mon impuissance à le faire dignement: il suffit que les gens sensés puissent connoître par là de quoi vous êtes capable; Permettez-moi seulement, Monsieur, qu'en sincère ami je prenne part à la louange & à la gloire que vous vous procurez par cette savante dissertation. Je ne puis que vous en féliciter de tout mon cœur, & souhaiter en même tems qu'il plaise au ciel vous dispenser bientôt le salaire que vous avez si bien mérité par vos peines & vos travaux. Cependant je suis sensiblement touché quand je pense qu'en peu de tems je dois regretter votre compagnie si agréable. Mais comme il est impossible de résister aux décrets de la Providence, il faut que je m'en contente. Assurez-vous néanmoins que ma sincère amitié vous accompagnera en quelque lieu que la fortune vous jette. Je suis persuadé de la même chose de votre part ce qui m'oblige indiffensiblement d'être.

MONSIEUR

Votre très-oblige & très-obéissant serviteur,  
**GODOFROI GNOSPÉLIUS**  
 natif de Nyland.

# Til Herr AUCTOREN.

Sin Högtdyrade Broder/

**S**är Jacob äldren tung och lefnads hösten mödde,  
Och han på darrand staf graflutand kroppen stödde;  
Om Himla Hielten han så ganfka märckligt spådde  
Som komna skulle så, när mehr ei Rangar rådde,  
Som förr af Jude ätt, af Davids stam och slächte,  
Men skulle se sin Thron och Spira wara bräcte.  
Om denna Hielten wist här mycket liusligt skrives,  
I Edert snilles prof, som nu i liuset gifwes.  
Fast än Ehr lyckans hand ei råckt så rundligt gåfwor  
At I med gyllend' krol ha'en wisdoms dyra häfwor  
Fådt maktigt fiska i de lärdoms Rika fleder;  
Har doch en idog slit ju warit såds min Broder,  
Den bragden, hwarmed I ett grundligt wet ha'en fångat,  
Fast mödan warit swår och tidren mycket trångat:  
Med liusligt wännskaps band jag är del taga bunden  
I Edert nötte; ty af hiertats inre grunden  
Jag sâhet Eder bör, och Rika fruchter önska,  
At Eder myckna slit blir lönt med liuslig grönfka  
Af önskelig wâlgång: Att Ehr himlen gier' den åhra,  
Här timlig Lager Krants, sen pakner få at bära.

Enfaldigt doch af hiertat  
Gratulerar  
MATTHIAS PAZELIUS  
Österbotninge